621
130

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ Martii.

M. ABRAHAMO THEVART, Doctore Medico, Præside.

Est-ne improbanda nutrix obnoxia menstruo profluvio?

I.

UT ab infantiâ vitæ ducit exordium homo, sic ab eâdem fundamenta jacit secundæ per reliquas ætates aut adversæ valetudinis. Admissam quapropter infantiæ decursu culpam incuriæ luit non rarò senex immeritus. Huic præcavendæ hoc Medicus esto diligentior, quò magis habet exploratum, quid firmandæ posteros ad annos aut convellendæ sanitati possit γαλακτισμὸς infantium. Illis recens in lucem editis, necdum solidiores atterere cibos subigereque valentibus, idoneum adornavit alimentum natura nec insuetum: quippe quo, dum fœtus adhuc uteri latebris contineretur, jam habuerit vivere. Lac substantiâ, colore, sapore usuque chylo simillimum, ab ipso aliquâ tantum præparatione discrepat, ulteriorique coctione. Si ductus desideres quibus chylus ad mammas deferatur, lactis ibi caractere insigniendus; quam luserunt operam hucusque Physici nimium curiosi complures, in canalibus investigandis, per quos materia nutriendis siccioribus ossium partibus destinata fluere possit, ipse & ludis tuam. Utilius hanc ponito pædotrophicus, in laudabili lacte diligenter internoscendo; quod consistentiâ mediocre prompserint ubera, colore album, subli.

vescensque nonnihil, gustu suave, odore gratum, neque spumosum, probator illud, modo quantum necessitas ad infantis alimoniam requisita postulaverit.

I I.

QUEMADMODUM vivifici nectarii hujus bonitas delicata est admodum fugaxque, sic & rara nutrix, cujus lac alumno tam salubre fuerit, intimam ut ineat amicitiam cum illius corpusculo, coëatque cum ejusdem succis, ni matrem excipias, cujus lac, nonnihil vitiosum, quolibet altero salubrius infanti. Præstabilis hæc nutrix, quam commendant juvenilis ætas, habitus corporis εὔσαρκος, floridus faciei color, elegans vultus, à quo alumni concilietur amor, suavitas vocis, eundem recreatura cantu, vel torminosos ejus levatura dolores, mammarum justa moles, consistentia molliorem inter atque renitentem media, figura pyrum utcunque referens, albedo cæruleis vasorum distincta coloribus, area minimè decolor, papilla fragæ similis ac prominens, quæ se infantis ori oportunè accommodet. De capitis crinium nigritie minus esto sollicitus candoreve dentium, hos ubi caries nulla tentaverit, quam de temperantiâ continentiâque nutricis; animo, à tristibus, jucundis aut vehementioribus pathematis prorsus immuni, munditiei studio, cujus ergò tergendis identidem incumbat tenellulis artubus alumni, fasciis ritè involvendis, perfectâ demum vacuitate singulorum quotquot oportet ad sanitatem excerni, καταμηνίων etiam, quibus plurimas inter nutrices paucæ observantur obnoxiæ.

I I I.

ENIMVERO lactantium alia nequit esse conditio, si ratio periodici profluvii habeatur, quam cæterarum mulierum. Fœmina propemodum omnis huic servituti mancipatur, quoniam hominum genus istud edax, vasa multo sanguine distendit, cujus à vita deside nulla planè jactura fit, aut certè perexigua, cujus & moles alienis scatet, præ nativi caloris atque ventriculi fermentorum imbecillitate. Luxuriantes itaque vel peregrinos humores, inediâ laboreque rescindendos per uterum exigi provida natura curavit; cùm ne sibi foret oneri nimia cruoris ubertas, ut ut probi; tùm ut remaneret à sordibus immune quidquid est ab istâ secretione

ſuperſtes. Paribus credas commodis gaudere debere nutrices; quarum vaſis, quæ ſanguine, forſan & degeneri tumebant, menſtruo profluvio depletis, lac nihilo paucius, & nihilo deterius; è contrario ſufficiens & probum præbetur alimentum infanti. Mammæ igitur, quo tempore calor & ſpiritus conſueto circa uterum occupantur miniſterio, per materiæ convenientis appulſum admonitæ ſui muneris, pro more vocantur ad opus lactis, quod vero notatur humoris nutritii ſigillo. Mirere opificinam illarum nullatenus interturbari converſione quadam caloris & ſpirituum ad muliebria loca; tantam videlicet habent illæ proclivitatem ad confectionem lactis, quantum iſtud plurimum fit, laudabile, dicam & ſtatim, ex dilutiore chylo, & à calore, vel minoris energeias.

I V.

VERUM ſi menſtruo vectigali fuerit adſtricta nutrix, inquies, numquid de ordinariâ infantis annonâ plurimum non detrahetur? præſertim ſi paulo liberalius pendat vectigal iſtud, aut diutius. Lac etenim aliud nihil cum ſit à ſanguine dealbato, quantum de hoc per loca muliebria menſibus quibuſque deceſſerit, tanto & conſequens eſt ut alumnus minuatur familiari cibario. Præterea quis ſtatus quævè craſis eſt lactis in nutrice, dum appetentibus ſecretionis periodicæ temporibus peculiaria cientur in utero fermenta, cruoris exitum promotura propediem. Inteſtinæ luctationi, propter citatam ipſius eruptionis diebus circuitionem ſanguinis, ſuccedit excitata civilis in cruore confuſio, ventriculi concuſſura lebetem, indeque chylum in ubera deferendum infectura vitiosè, vel hoc poſito quod non è ſanguine lac. Quaſi vero deceret nativum calorem ludere, ſeu operoſam in conficiendo cruore operam ab eo poni, quâ debiti ſubſtantiæ nobiliori conatus in aliam ignobiliorem impenderentur minorique molimine parabilem. Adde quod ἀδύνατον prorſus tantâ ſanguinis copiâ ſingulis diebus minui lactantes, citra quamvis, ut contingit, virium amiſſionem. Ideo cave putes hæc inter ſe repugnantia, quo tempore καταμήνια profunduntur à mulieribus, tantumdem lactis ab illis ſuppeditari, quantum aliàs.

V.

PORRO ſicut in nutrice de lactis penu demitur omnino nihil, quando menſium patitur, & liberale profluvium; ſic dum eodem in articulo τάραξις quædam oritur intra muliebria, veroſimile quidem hac utcunque agitari tubulos cruoris uterum alluentis, quibuſdam ſaltem in lactantibus: omnes enim & ſingulæ mulieres æquali tunc non afficiuntur incommodo; finitimaque forſan hiſce locis vaſa leviuſculè commotum iri; dum à tumultus impreſſione, qui ſæpe tam gravis non eſt, lac ipſum incolume præſtatur. At recens enixarum lac vitioſum ſemper? igitur & nutricum quæ ſexus debitionem perſolvunt. Fatemur pravum lac ſubminiſtrari ſtatim à partu, ſeu quoniam qui partum comitantur dolores aut antecedunt, quæve partum excipiunt tormina ſuccorum craſin œconomiamque turbavere non mediocriter: ſeu potiùs quoniam tunc verſari quodammodo videtur in ancipiti natura, concurſantibus videlicet huc illucque ſpiritibus & chyloſa materie: nam ambo variè convertuntur ad uterum, mammas & cor; atque per alternas vices, nunc fœtus velut etiamnum in utero morantis necdum excluſi, nunc infantis, nunc matris ipſius nutritioni ſpiritus & chylus cum anxietate ſimul incumbunt: arcendus eapropter ab ubere, niſi maternum fuerit, alumnus. Diſpar eſt prorſus ratio in lactantibus noſtris, quarum ſuccis in tranquillo conſiſtentibus naturâque tot in curas minimè diſtractâ, conſuetum lactis opificium nihilo ſegnius utiliuſque perficitur.

Non igitur improbanda nutrix obnoxia menſtruo profluvio.

Proponebat Pariſiis JACOBUS FOURNEAU, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1701.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.